

tū eam superius comprimit, descēdit flatus: cum inferior, ascendit. Coniicio intra peritoneum, & musculos colligi materiā, & muscoli recti ad furculas terminantur, vbi terminantur & flatus. Subiis igitur, & inter eos ascendunt & descendunt rugitus. De materia difficultas est, à qua sumitur indicatio operandi, an sit materia vaporosa, quæ à sanguine in venis feruēte, adusto atque ebulliente excitetur, & inde ad hæc loca deueniat: & sic omnino videtur, quia maximos percipit ardores in parte sinistra, & circa hypochondria, & circa furculas, seu terminum ad quē terminatur, vbi quasi ignem percipit. Si materia frigida pituitosa esset, non faceret tantum calorem, quia à re calida fit quoque calida impressio, non à pituita vel humoribus lentis. Si hoc verum non esset, sed ex vitio ventriculi, non esset verus flatus hypochondriacus, quem definit Galenus ex Diocle, vel esse feruorem sanguinis vaporosi in venis inter vētriculum & hepar, vel propter obstructionē aut inflammationem pylori. Vbi addunt recentiores etiam fieri eam obstructionē ex materia frigida, quod considerandum esset an possibile. Possunt autem flatus hypochondriaci esse sine melancholia hypochondriaca, sed melancholia hypochondriaca nunquam est sine flatibus. Et ibi disputat Galenus contra Dioclem, vbi dicit propter feruorem sanguinis adusti fieri melancholiam hypochondriacam, non ob frigiditatem: & id satis constat, si quidem in primis principijs constare videmus. Frigiditas diminuit actionem, facit torporem & fatuitatem, non corrumpit actionem. Corruptio verò fit ex caliditate, pituita verò torpidos & se-gnes facit homines. In hoc credo permissionem vtriusque, & iudico illū habere vapores adustos ascēdētes quæ circa lienē percipit feruorē, ideoq; existimo, venas & meatus, qui à splene sunt, ad vētriculum & alias partes, plenos esse humore melancholico crudo. Habet præterea multum pituitæ, propter incoctiones in vētriculo, ideo sentit eructationes acidas, quas etiam Galenus eos habere dicit, & postea liberari. Prouenit autē ea aciditas ex leui corruptione, quæ non assequitur finem. Materia autem putrescit, quod non possit distribui suo tempore. Ita igitur ego materiam non simplicem puto, sed mistam, sicut causæ sunt diuersæ, frigiditas ventriculi & imbecillitas, non concoquentis debito modo, nec distribuentis, ad quod sequuntur obstructiones, & caliditas in hepate, ac feruor in ipsis venis, ac noxia etiam caliditas ipsius lienis. Morbus igitur compositus est ex diuersis & oppositis temperaturis, quare remedia opposita quærēda sunt, sed de ijs nihil à nobis nunc quæritur: sed de balneo, vtrū potius thermarum Aponitarum conueniat. Fauentius iussit vt tri-duo biberet, postea verò stillicidio vteretur vigin-ti tres, aut viginti quinque diebus. Ego potius cō-trarium facerem, biberem aquam quatuordecim aut viginti diebus, stillicidiū verò omnino omit-terem. Sed de potu aquarum videtur occurrere hæc dubitatio, quia ægrotudo duplex. Quod ad frigiditatem ventriculi attinet, & obstructiones, conueniret optimè, quia morbus est in composi-tione: sed illa caliditas ignea in lienis regione, qui

A est initium, vnde egreditur flatus, & terminatur postea in iugulo, & feruet sanguis in ipsis venis, hepatisque caliditas contrarium suadent, quibus non dubium est, non conuenire thermas. Num igitur debemus desistere? Ego quidem exhibe-rem: sed interim vellem habere rationem quo-que aliorum membrorum. Natura aquarum insi-gniter calida est: ita igitur prospiciendum est ven-triculo, ne noceamus aliis membris, & præsertim hepatis ac lienis. Primò igitur non excederem duo-decim aut quatuordecim calices in quantitate, hoc est, ne biberet vltra decem aut duodecim li-bras ad summum. Deinde munirem iecur, & lie-nem etiam in frigiditate Galeni. nō enim aliud scio remedium magis securum, & bonum, dummodo fit recens, & diligenter confectum. Vngerem au-tem totam regionē lumborum secundum totum longitudinis spacium, & hepatis etiam locū. Hoc modo nō nocebit aqua, quia magis figitur in ven-triculo, & locis frigidioribus: ad hepar verò & lo-ca calidiora non peruenit, aut ea solūmodo tran-sit, nec moram facit. Quod ad os furculæ attinet, ingrederer aquā, & lauarē totum corpus. Quan-quam ad tollendum hunc morbum, etiam aliis re-medijs opus fore credā: sed possunt primò aquæ experiri. Stillicidium omnino improbo, quia ma-gis calefaceret caput, & fieret maniacus tandem.

Aquam Aponensium.

Stillicidium improbat

CONSILIVM CCXXIX.

D De affectu hypochondriaco, pro generoso Co-mite D. de Montfort Germano, anno 1549.

ABORARE illustrissimum Comitem eo affectu non dubitamus, quem anti-qui medici flatū hypochondriacum, re-centiores myrachiale appellarunt: ita enim esse, & mœstitia præter causam, perpetuūq; ferè circa hypochondria rugitus faciliè ostendunt. Cū verò huiusmodi affectus à contraria intem-perie duorum membrorum dependeat, ventricu-lo in quā frigidiore, & hepate calidior, habemus in illustrissimo Comite vtriusq; intemperaturæ manifestissima signa: nam & tardè admodū con-coquit, plurimaque redundat pituita: & quod ad ventriculum attinet, iuuatur à calidis, nocumen-toque afficitur à frigidis. Renes verò calidiores arenarum rubearum frequens & copiosa eiec-tio ostēdit, vrina lutei coloris, subtilis, pellucida, pu-stulæque quandoque erumpentes, mordaces, vl-ceraque emanantia, caliditatem insignem hepa-tis arguunt. Ægrotudo igitur illustrissimi Domi-ni est intemperies ventriculi frigidior, & hepatis calidior, à quibus proximè generantur sympto-mata eruditatis, flatuū, mœstitiæ, ob vapores fer-uefactos & adustos, à venis melaicis ascenden-tes ob materiæ inflammationem in illis partibus collectæ. Hinc oritur curationis difficultas, & morbi longitudo: cū enim ventriculus calidio-ribus ad curationem indigeat, hepar verò frigio-ribus, non potest medicus alterum sine alterius insigni noxa curare: vnde etiam morbi longitudo cōsequitur, præcipuè quoniam duo illa membra vniuerso corpori nutriendo inseruiunt, quæ cū ægrotent, necessarium est nutrimentum quoque